



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CLXIV. De Destructione Castri Wecrize & alterius propugnaculi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

CHRONICI PRUSSIÆ.

Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gen. Ord. Teut.
Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Prov. in Prussia.

CAP. CLXIII.

De

*Bello Fratrum & Civium de Elbingo
infra secundam Apostasiam, & de quibusdam
fidelibus Pogesanis, qui fratribus adha-
serunt.*

Dum surgeret secundæ apostasiaz persecutio, quidam de Pag-
sania Nobiles, licet pauci, non ingrati beneficiis sibi à Ma-
gistro & fratribus exhibitis, relictâ hereditate paternâ cum o-
mni domo & familia venientes Elbingum fratribus fideliter ad-
hæserunt.

CAP. CLXIV.

De

*Destructione Castrorum Weerize & alte-
rius propugnaculi.*

Pogesani cum Sudovvitis & aliis gentibus de Pruschia con-
gregato Exercito valido circumiverunt Pogesaniam, & Po-
mesaniam in principio secundæ Apostasiaz , & quotquot ibi
Christianos invenerunt captis mulieribus & parvulis occide-
runt. Deindè procedentes, Castrum Elbingense impugnave-
runt, & adeo infesti fuerunt, quod utique suburbium expugnas-
sent, si non quidam, dictus Wirtel, Capitaneum ipsorum cum
lanceâ transfixisset. Quo mortuo turbati recesserunt usque ad
(a) propugnaculum quoddam, situm inter fluvium Rogovv &
(b) Wesecam flumen , in eo loco ubi Weseca intrat stagnum
Dru-



Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gen. Ord. Teut.
Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Pruss. Provinc.

Drusine. Et post modicam impugnationem incendio destruxerunt, captis omnibus & occisis præter eos qui navigio per Drusinam evaserunt: Posthac cum viderent sibi omnia ad votum succedere, accedentes ad Castrum (c) Wecrize situm supra Regovv fluvium, ipsum post longam & duram impugnationem & obfessorum virilem defensionem tandem in cinerem redegerunt, captis omnibus & occisis.

A N I M A D V E R S I O N E S.

- (a) Propugnaculum illud appellat Jeroschinus *Ozzel*.
- (b) *Weiske* habet Jeroschinus. *Weiske* notissimus est iis in locis fluvius.
- (c) Apud Jeroschinum appellatur *Wentlitz* & postea *Wetlitz*. In Conditionibus pacis perpetuæ inter Casimirum Regem Poloniae & Ludovicum ab Erlichshausen Anno 1466. constitutis, appellatur Weklicz quod nomen & hodie retinet. Vid. Privilegia Prusiæ Ducal. fol. 21. b. Nunc est pagus Elbingensis ditionis ex Privilegio Regis Casimiri 1454.

C A P . C L X V .

De

Expugnatione molendini Liefardi & morte plurium Civium de Elbingo.

A Nno Domini MCCLXXIII. Cum jam Sambitæ, Naestangi, Barthe & Warmienses fatigati laboribus & expensis se fidei & fratribus subdidissent, Pogesani adhuc in pertinacia sua permanentes, congregatum Exercitum suum circa Elbingum in quoddam nemus locaverunt, de quo (a) pauci equites exeuntes ante civitatem Elbingensem se ostentaverunt, quos Cives de Elbingo, qui continue circa se habebant arma reposita, sequentes, aliquos interfecerunt. Sed dum se cives sic sequendo nimis